

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Vincentii Chartarii imagines deorum ... qui ab antiquis conlebantur

Cartari, Vincenzo

Moguntiae, 1687

Neptunus

[urn:nbn:de:bsz:31-341151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-341151)

*Bona Dea
Imago.*

Imago 34.

*Proserpina
pro frugibus
capitur.*

tes in ejus templo nec terrentes, nec timentes apparerent. Quare ejus imago effingebatur, Sceptrum sinistra manu tenens (nam eam parem Junoni potestatem habere, aliqui crediderunt) vite ejus capiti incumbente; ad latus erat serpens, ac Myrtheus baculus. Huic Deæ sane, quam similem potestatem Proserpina habebat; cum veteres pro Proserpina viam illam terræ intellexissent, quæ femina sub ea condita conservaret, De hac apud Eusebium similis fabula legitur, ac ea quam de Bona Dea retuli. Easie habet, Ceres ex Jove Proserpinam genuit, quam aliqui Pherephatten appellant. Filie amore correptus parens, ei in serpentem conversus conjungitur. Unde in Sabaziorum mysteriis draco in spiram involutus in sacrificiis, ad factorum memoriam adhibetur. Peperit & Pherephatte tauriforme filium: quare Poetæ nonnulli taurum laudant draconis patrem & draconem rursus tauri patrem. Proserpina etiam fruges significari legimus, quæ è terra Cæris nomine denotata, ortum trahunt. Idque non absque vitali quodam calore, qui è cælo derivat: Jupiter autem cælum adumbrat. Hæc à Plutone raptâ fingitur aut quia femina in terram jacta, interdum non nascuntur, ex quo terra quodanmodo dolere videtur, cum se suis ornamentis spoliatam cernat: aut quod nativus terræ calor correpta femina fovet, donec ea ad matu retinere perducatur. Eadem Proserpina aliquando pro Luna capitur, quare potest eodem pacto effingi, quo Luna sed & ejus effigies, anserem manure inercernitur, ut Pausanias in Bœoticis narrat: dicit enim prope Trophonii lucum Ercynam cum Proserpina ludentem, anserem in manibus invitam dimisisse, volitantem illum subiisse cavernosum antrum, ibique se sub lapide occultasse. Proserpinam subingressam avem à fuga retraxisse: quo loco lapidem submoverat aquam erupisse, qui postea fuerit Ercyna amnis appellatus. Manebat ergo ad Ercynæ ripas ædes & signum in ea, virgo anserem manibus præferens; quæ Proserpina Cæris filia erat.


NEPTUNUS.

NEptuno inter fratres sorte Aquarum regnum obtigit, inde maris Deus dictus, Eum veteres interdum tranquillum, mitem sedatumque, sæpe etiam vultu turbato effinxerunt: Quod apud Homerum atque Virgilium legere est; Mare enim statim ex altero in alterum statum permutatur, quod ex tranquillo fit turbulentum, atque è contra: Eidem tridentem in manus tradiderunt, qui in Concha veluti in curru stat, hæc ab Equis marinis trahitur, qui posteriore sui parte piscis speciem referunt, Hi à Statio lib. II. Thebaid. sic describuntur;

*Illic Egao Neptunus gurgite fessos
In portum deducit Equos: prior haurit habenas
Fngula; postremi solvuntur in aquora pisces.*

Eum





co
qu
n
scu
ma
per
Bra
ped
ac
tra
de

I
den
gnif
enir
funt
trad
mar
gün
biler
tane
se re
lo c
Dii
scrib

F
aqua
Nec

Eum vestibus cæruleis induerunt, quæ, ut Phornutus inquit, marinum colorem referunt. Lucianus in sacrificiis cæruleis capillis, & nigris effingit; quamvis Servius dicat, apud antiquos, marinos deos canis capillis, atque senes plerumque depictos fuisse; quandoquidem eorum capita spuma candescunt. Quare Philostratus in imaginibus Glaucum depingens, qui est etiam Glaucus. marinus Deus, eum dicit barbam habere madefactam, comas autem aqua perfusas per humeros spargi; supercilia densa, hirsuta, & inter se juncta; Brachiumque attollentem, undas scindere, aptasque ad notandum efficere; pectus marina alga, ac lanugine obsitum, ventremque paulatim attenuari, ac inde cæteras corporis partes in piscem desinere; itaque cauda erecta, extraque aquas existente ostendi. Ovidius lib. XIII. Metamorph. ita Glaucum de se loquentem inducit:

*Pabula decerpsi, decerptaque dente momordi:
Vix bene combiberant ignotos guttura succos,
Cum subito trepidare intus præcordia sensi.
Alteriusque rapi natura pectus amore.
Nec potui restare diu, repetendaque numquam
Terra vale, dixi, corpusque sub aquore merfi.
Hanc ego tum primum viridem ferrugine barbam.
Casariemque meam, quam longa per aquora verro,
Ingentesque humeros, & cærulea brachia vidi,
Cruraque pinnigero curvata novissima pisce.*

Idem Philostratus Neptunum cum Equis & cetis in mari tranquillè incedentem facit, ac tridentem præbet; quem tres maris mediterranei sinus significare, aliqui volunt; alii ad triplicem aquarum naturam referunt; fontium enim sunt dulces, marinæ salæ; quæ autem in lacubus continentur, non sunt amaræ illæ quidem, sed gustatui sunt ingrata. Idem buccinam eidem tradit; ea autem est coclea, qua Tritones utuntur: nam & hos antiqui inter Tritones. marinos Deos numeraverunt, Neptunoque comites adjunxerunt. Poetæ fingunt Tritones maris tubicines; cocleam enim retortam gerunt, qua terribilem quemdam sonum edunt. Itaque Hyginus refert eo tempore, quo Titanes adversus Deos bellum gerebant, quemdam Tritonem buccina nuper à se reperta, ita insonuisse, ut Gigantes sonitum ferre non valentes, terrore illo consternati, statim sese in fugam converterint. Hi potius bellæ quam Dii, aut homines erant existimandi; Nam ut Virgilius lib. x. Æneid. scribit;

Frons hominem præfert, in pristinis desinit alvus,

Hæc eorum duplex forma, secundum nonnullorum sententiam, duplicem aquarum vim ostendit; nam eæ interdum profunt, aliquando etiam nocent. Neque tamen Poëtarum omnino est commentum, quod de Tritonibus jactatur,

*Homines
marini.*

Etatur; nam ex historiis discimus, homines marinos saepe visos qui figura partim hominem, partim piscem referunt. Plinius lib. IX. Natur. histor. testatum reliquit, Olysiptone Tyberii principis tempore, legatos missos Romam, qui nunciarent, apud se Tritones buccina sonantes esse auditos, immo & a plurimis visos. Et Alexander Neapolitanus lib. III. refert se a quodam certa fidei homine audisse, qui diceret se, cum esset in Hispania, marinum hominem & vultu & corpore prorsus humano, absoluta similitudine pube tenus, postremis vero in piscem desinentibus, vidisse, in m. l. le ex ultima Mauritania, & Oceani finibus eo pro monstro allatum; fuisse autem facie hominis vetusti, capillo, & barba hispida, atque hirta, colore cæruleo, statura procera, & maiore humana, alis quoque tenui cartilagine, quibus marinos fluctus secabat, & membrana passim interfluente munitum. Quod ne quis commentitium arbitraretur, idem Theodori Gaza auctoritate confirmat, qui affirmavit, se, dum in Peloponneso ageret, fœda maris tempestate oborta, cum nonnulla piscium monstra ad litus illisissent, inter cætera vidisse Nereidem in litore, fluctibus expositam, viventem jam, & spirantem, vultu haud absimili humano, facie quoque decora, neque inveniusta specie, corpore squamis hirta ad pubem usque, nisi quod cætera in locusta caudam desinebant. Quamobrem minime mirum videri debet, si Poëta Nereides pulcerrimas. Nymphas esse finxerunt, quæ marinos Deos, Oceanum scilicet, Nereum patrem, Neptunum, Thetin, Doriden, cæterosque ejusmodi comitarentur, qui varios aquarum effectus significant; ab antiquisque colebantur, quod crederent, sibi plurimum ab eis commodari, incommodari posse. Quamvisque plurimæ ferantur fuisse Nereides (nam Hesiodus eas ad quinquaginta nominatim enumerat; tamen de una tantum, Galathea dicta, mihi dicendum suscepi. Hæc sic est a candore nominata, qui in ea aquæ spumam representat: quare Hesiodus ei albicantes comas, faciemque lacti similem tribuit. Polyphemus ejus amator apud Ovidium, eam ligustris candidiorem vocat. Philostratus in quadam imagine Galatheam per quietum mare incedentem facit, eamque in curru collocat a delphinis tracto, quos Tritonis filia regunt, Nymphæ circumstantes, ejusque obsequiis paratissimæ. Cæterum ipsa purpuream vestem supra caput ad Zephyrum tollit, ut & sibi umbraculum, & curru velum sit. Ipsi autem comæ Zephyro minime diffuse; madidæ enim sunt, & quam ut a vento agitari queant, graviores. Hic non duxi prætermittendum, quod Alexander Neapolitanus loco proxime citato refert; nempe filias aquarum venabant, Tritonem, seu marinum hominem a spelunca, quam forte ibi nactus fuerat, observare solitum, si quando solam ad aquas accedentem, aut per litus obambulantem mulierem videret, ipsum ex undis, & spelunca leni gressu, ta-

Nereis.

Galathea.

cius.


citisque vestigiis defilire, & à tergo accedere, ac vi compressam mulierem ex
 insidiis adoriri, & ad mare concubitus causa arripere, arreptamque sub un-
 dis deferre consuevissent. Quod cum apud loci incolas percrebuisset, dsligen-
 tius marinum monstrum observasse, & cum diutius laqueos illi intendissent,
 haud multo post dolo captum, & laqueis vinctum cepisse: cumque cibo ab-
 stineret, extra aquas multum vivere nequisset. Pausanias in Bœoticis ita
 Tritones nobis depingit; colore eo sunt, quo esse videntur ranæ palustres in
 dorso: nares humanas habent, branchias sub aures, os rescissum, latumque, *Tritones.*
 ferinos dentes, glaucos oculos, manus cum articulis ad humanam effigiem,
 ungues ostreorum conchis persimiles; reliquum porro corpus parvulis squa-
 mis contextum est, & in piscem desinit, non dissimiles extremis delphino-
 rum partibus. Ab his, aut à Naphadibus non multum Sirenes differunt: *Sirenes.*
 ut enim fabulantur Poëtæ, muliebrem aspectum habent, idque umbili-
 co tenuis, nam in posterioribus partibus piscem imitantur: aliqui alas
 addunt, pedesque gallinaceos. Eas dicunt Acheloi, & Calliopes filias tres
 fuisse, quarum una canebat, altera tibiam instabat, tertia lyram pulsabat;
 quæ omnes ita suavem edebant concentum, ut facile miseros nautas allice-
 rent, ut ad quosdam in Sicilia scopulos impingerent, ubi eæ degebant. Sed,
 ubi se ab Ulysse contemptas vidissent, qui illac transiens, se ad malum reli-
 gandum, locis vero cera aures obstruendas curavit, ne ipsarum cantus au-
 dirent; statim se in mare præcipites dedisse, atque hinc forte factum fuit,
 ut dicerentur à posteriori parte pisces evasisse. Servius eas non pisces, sed
 aves ea in parte vult fuisse: sicut & Ovidius, cum easdem dicit Proserpinæ
 comites fuisse; quæ, postquam illa à Platene correpta fuit, in huiusmodi
 monstra versa fuere, habentia quidem faciem atque pectus muliebrem, sed
 in cæteris avi similia. Suidas refert, secundum fabulas Sirenas aves fuisse,
 pulchra mulieris facie insignitas, quæ suavissime concinerent; sed revera
 quosdam scopulos exstitisse, ad quos aqua allisa, ita suave murmur redderet,
 ut nautæ ab ea suavitate pellecti, illuc navem dirigerent, atque ita contracta
 ad cautes nave, misere disperirent. Plinius quoque, de fabulosis avibus lo-
 quens, in India inquit, aves quasdam exstitisse creditum, quæ cantus suavi-
 tate hominibus somnum injiciebant, dormientesque devorare solebant.
 Sed tamen siue pisces, siue aves, siue aliud quodcumque tandem Sirenes
 sint; illud certum sit, fictitium quidpiam esse; atque iis nonnulli meretri-
 ciam pulchritudinem, atque illicia innui volunt: eæ cantu nautas sapiunt,
 ac tandem devorant; nam incaute se meretricum blanditiis de mente ac sa-
 nitate deturbari sinentes, ab eis tandem patrimoniis abliguritis, ad extre-
 mam inopiam rediguntur. Quare Buccatius narrat, apud antiquos Sirenas
 fingi in amœnis pratis degere mortuorum ossibus conspersis; eo extre-
 mum exitium, quod lasciviam sequitur, significantes. Apud Virgilium


quoque Sirenium scopuli multorum ossibus albi valdeque ardui, ac periculosi describuntur. Sed Xenophon aliter sensit: nam in libro de dictis & factis Socratis, Sirenas vult eorum laudes concinere, qui dignissimi sint, quorum virtus præconiis summis celebretur; easque ideo ab Homero fingi de Ulysse cecinisse; quod revera is esset Græciæ universæ ornamentum: hocque fascinum esse, atque præstigias, quibus studiosos homines ad se pellicerent, nam eos audito virtutis præconio, cujus amore capti sint, multo majores erga illam concipere ardores, & ad eam ardentius accurrere, atque dulces præconiis voces sequi, atque hac de causa forte factum fuit, ut quemadmodum Aristoteles libro de rebus admirabilibus testatur, quibusdam in Insulis Sirenarum dictis, quæ in Italiæ finibus sitæ erant, templa atque altaria meruerint, atque ab incolis colerentur: earum autem nomina fuerunt, Parthenope Leucosia, & Ligia.


Nunc ad alios Deos sive monstra veniamus. Homerus Scyllam fingit, in antro obscuro & horrendo habitare, terribili illam esse latratu, cañum videlicet simili, pedes habere duodecim, colla sex longa; capita totidem & dentium triplicem ordinem, ex quibus virus stillare videatur; capita vero assidue in mare porrigere, ac circumspicere è scopulo, an inde navis aliqua circumnaviget, ut ex ea saltem tot deprædetur, quot ipsius sunt capita; atque totidem ex Ulyssis sociis abstulisse. Cum Helenus apud Virgilium lib. III. Æneid. Æneæ cursum, quem tenere debeat, ostendit, monet ut duo hæc horrenda monstra caveat, Scyllam scilicet atque Charybdin de quibus ita dicit;

*Dextrum Scylla latus, ævum implacata Charybdis
Obsidet: atque imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus rursusque sub auras
Erigit alternos, & sidera verberat unda.
At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris,
Ora exsertantem, & Naves in saxa trahentem.
Prima hominis facies, & pulchro corpore virgo
Pubes tenuis, postrema, immani corpore Præstis
Delphinum caudas utero commissa leporum.*

Hujusmodi figuram induisse Scylla dicitur, veneficis scilicet Circes quæ videret Glaucum, quem ipsa deperibat non suos sed Scyllæ amores sequentem: itaque aquis ubi se Scylla abluere consueverat, suis veneficiis infectis eam in ita deformem figuram convertit. Sed ea se ita aspectu horribilem videns, præmerore præcipitem in mare se dedit, ubi & nautas transeuntes perterrefacit; sicut & Charibdis, quæ cum esset mulier rapacissima, Herculis boves ausa est furari. quare à Jove fulmine icta, ac in mare præcipitata in scopulum est conversa, pristinam autem naturam apprimè servat: His fabularum









lar
fre
ac
to
del
cu
ing
Ne
fan
pu
tra
ba
Ne
era
bu

na
gie
ca
xi
ru
te
ce
du
fo
un
aq
lig
ace
ig
ru
fo
m
te
ful
un
ex
di
cu
de
Na
mi

larum in volucris Poëta nobis geminorum scopulorum, qui in Angustiis freti seculi se mutuo respiciunt, naturam adumbrare voluerunt. Sed hinc ad alia maris monstra describenda deveniamus, Nereides centum fuisse, quæ *Nereiden* totidem Delphinis insidebant, Plato inquit, cum mirabile illud templum describeret, quod apud Atlanticos Neptuno erat consecratum, qui ibi in curru erat effictus, alatorum Equorum frana manu continens, tamque ingens erat, ut capite alti illius templi fastigium contingeret. Maxima pars Neptuni comitum in quodam templo, quod est in agro Corinthio, ut Pausanias refert, cecebat, ubi is una cum Amphitrite sua uxore in curru erat; puer quoque Palamon delphino innixus visebatur; Equi quatuor currum *Imago 36.2* trahebant; Tritones duo erant ad latus; in basimedia, quæ currum sustinebat, mare erat exculptum, atque Venus, quæ inde emergebat pulcerrimis Nereidibus comitata Palamon, qui à Latinis portunus dicitur, portuum erat Deus; cui nautæ reduces sacrificabant, itaque est Neptuno comes attributus.

In quodam templo Neptuni, qui erat in Ægypto, Canoptus Menelai nauta colebatur, qui post mortem in astra translatus dicebatur. Ejus effigies erat crassa, brevis & quasi rotunda, collo obtorto, brevissimis cruribus; causam, cur ita effingeretur, hanc dicunt cum Persæ ignem, quem ut maximum Deum colebant, quaqua circumducerent, ut eo ceterorum Deorum, quos reliquæ nationes venerarentur, vires experirentur; nullus autem, cujuscumque tandem materiæ esset, non illi cedebat; tunc Canopi Sacerdos, ne suus Deus flammis absumeretur, quidam contra Ignem callidum excogitavit. Solebant in Ægypto fictilia quædam vasa fieri, minimis foraminibus pertusa, quibus turbida aqua limpidissima effluit: horum ille unum, cera foraminibus obturatis cepit, variis coloribus undique depictum, aqua repletum, ac ut Deum statuit; & excidens Canopti simulacri caput, illi diligenter aptavit: adsunt posthæc Persæ, itur in conflictum; circa hydriam ignis accenditur; cera dissolvitur, qua foramina erant obturata, diffuente aqua ignis extinctus est. Astu igitur Sacerdotis Canoptus Deus victor Dei Persarum evasit & ex eo Deus cultus est, ut Suidas refert. Quare in posterum ea forma est effictus, qua dixit, utque cernere est in quodam Antonii pii numismate. Delphini omnium piscium Neptuno gratissimi feruntur; quare Hyginus testatur, semper, cum Neptunus effingeretur, delphinem in ejus manibus, vel sub pedibus fuisse, hac fortasse de causa, quod sicut leones ferarum Aquila avium, ita & Delphines piscium sunt Reges. Martianus cum in nuptiis Philologiæ expressit, sic dicens; Nudus est Maritima inundatione viridior, coronam albi Sclis instar candidam, atque spumarum Canicici concolorem habens. Pallas cum apud Ovidium lib. vi. Metamorph. cum Arachne de texendi arte contenderet, duodecim Deorum confessum pinxit, ubi disceptaretur, utri sibi ne, an Neptuno concederetur, ut Athenis recens conditis nomen imponeret; Carmina sunt hujusmodi;

Stare


*Stare Deum pelagi longoque ferire tridente
 Apera Saxa facit, medioque è vulnere saxi
 Exhibuisse fretum, quo pignore vindicet urbem.*
 Virgilius in primo Georg. equum dicit exiisse;
*Tuque o cui prima frementem
 Fudit equum, magno tellus percussa tridente,
 Neptune.*

Quod Servius ideo fictum esse vult, ut velox frequensque maris motus ostenderetur, quare Equi sub Castoris & Pollucis tutela esse dicti sunt, coram enim astra velocissimè moventur. Quidam ideo Neptuno Equorum inventionem tributam dicunt, quod Equilatos campos, æquosque desiderant, qui ab æquore optime repræsentantur. Idem Servius principium lib. IX. Æneidos enarrans, ubi Poëta sic dicit;

*Vt belli signum Laurenti Turnus ab arce
 Extulit:*

Refert Romanos belli tempore duplicia signa extulisse, alterum scilicet purpureum pro pedestribus copiis, alterum vero cæruleum pro equestribus; hic enim est maris color, cuius Deus putabatur Neptunus, qui & equos invenisse fertur. Diodorus Siculus scribit, Neptunum primum omnium Equos domuisse, artemque equitandi docuisse, hincque factum esse, ut equestris appellaretur: Cui Pausanias etiam consentit; qui vult ideo Homerum, cum ludos equestres describeret, Menelaum induxisse, qui certatoribus juramentum, per Neptuni numen proposuisset, se nullam fraudem adhibituros. Idemque subjicit, hoc Neptuni cognomen ceteris præstare, cum cunctis nationibus sit commune. Hinc arbitror profectum fuisse ut ludi Circenses apud Romanos qui erant Equestres, Neptuno essent sacri: celebrabantur autem in Consualibus, quæ erant à Romulo instituta, in memoriam ut inquit Livius, raptus Sabinarum; nam quemadmodum Plutarchus refert, cujusdam Dei aram conditam sub terram in Circo invenerat; eidemque Deo indidit nomen Conso sive à consilio quod consiliarius foret; aut, quod magnarum rerum consilia occulta esse oporteret: quare ad ejus aram aditus nunquam patefiebat, præterquam Ludorum Circensium Diebus. Quod effecit ut Neptunus idem ac Consus crederetur; de quo hæc strictim attigisse sit satis; nam nullam adhuc ejus imaginem apud scriptores reperi. Quod autem Equi sub Neptuni tutela essent, Pausanias in Eliacis posterioribus ostendit, cum circum, ubi Equi currebant, describit dicens, ad alterum curriculi latus aram fuisse figuræ rotundæ, ad eamque Deum coli, Taraxippum, ab incutiendo Equis pavore, nuncupatum. Solitos enim esse injecto terrore, circa aram hanc Equos tam vehementer consternari, ut incertum unde coorta trepidatione, sæpe illis curribus afflige-

Consus.





affligerentur auriga: quo igitur æquo & propitio uterentur Taraxippo, ad eam aram aurigas vota nuncupasse. De hoc Deo multas multorum opiniones idem Pausanias affert sed eam tanquam omnium probabilissimam approbat, qua Taraxippus Neptuni fuisse cognomen dicitur: ab eo enim Equorum origo profluxit: à quo duos Equos Junoni dono datos, ferunt, quos illa Castori & Polluci tradidit. Cui fabula illa quoque concordat, qua jactatur, Equuleum ab ope Neptuni loco suppositum Saturno fuisse: hacque de causa Festus vult, Neptunum Equestrem fuisse dictum, ob idemque inquit, in Illyrico quaternos Equos jaci solitos nono quoque anno in mare. Aliqui sentiunt, Neptuno Equos optime accommodari; quod scilicet mare undique ad nos necessaria usibus nostris advchat, sicut & Equi. Quare Philostratus cum duas parvas Insulas describeret, quibus, rerum venalium forum erat commune, in quod quod ab agris legeretur, altera inferebat, altera vero quidquid ex maritima præda corrogasset, ibi Neptuno statuam positam inquit cum aratro, atque curru, tamquam si agricola esset: quo incolæ innuebant, se etiam terræ fruges Neptuno acceptas referre: sed ne eum terrestrem tantum colere viderentur, aratro navis proram aptarunt; ita ut Neptunum navigantem, terram arare diceres.

Imago 17 a.

Apud Eleos, sicut Pausanias refert, adolescentis imberbis statua visebatur, qui pedem pede premebat; ambabus vero manibus hastæ innitebatur; hæc statis temporibus nunc lineis, nunc laneis vestibus induebatur. Hæc Neptuni esse est credita, aliunde illuc translata, ubi maximo cultu ab incolis afficiebatur. Sed non Neptuni, verum Satrapis effigies appellabatur. Duo numismata exstant, Vespasiani unum, alterum Adriani, in quibus Neptuni imago cernitur nudi stantis: sed in laevi humeri tergo propendet amictus; dexteraque trilorem scuticam, læva elatum tridentem tenet. In alio quoque numismate idem est effictus nudus, rectusque, sinistra elata tridenti inherens, Delphinem dextera porrigens, alterumque pedem in prora tenens. Illud præterea est sciendum, apud veteres urbium portas Junoni, arces Minervæ, mœnia atque fundamenta Neptuno fuisse sacra; quod Servius adnotat, illud II. Æneid. enarrans, ubi Venus inducitur, Æneæ ostendens, Trojæ ruinas reparari non posse; cum horum Deorum pro se quisque id dirueret, quod sibi esset proprium, ita inquit;

Fundamenta
Neptuno sacra.

*Hic, ubi disjectas moles, avulsæque saxis
Saxa vides, mixtoque undantem pulvere fumum:
Neptunus muros, magnoque emota tridenti
Fundamenta quatit; totamque à sedibus urbem
Erui.*

Hacque de causa à Græcis *ἰσοίητος* est dictus, quod est Terriquassor; quo significarunt, terramotum Neptuno tribui, propter aquarum

Terramotus
à Neptuno
scilicet.

scilicet motum. Quamobrem Theffali, Neptunum aquis exitum aperuisse, dicebant, quæ universam olium Theffaliam inundabant; nam ingenti terræ motu excirato, montes discidit, ita ut latus fieret Peneo flumini exitus, terraque inter montes interjecta commode habitari posset: quod & Herodotus confirmat. Quod dixi de Neptuno Terriquaassore, perbelle ad Terræmotus imaginem aptari posset, si quis eam vellet effingere.

Oceanus.

Imagines Neptuni atque Oceani non multum inter se erant dissimiles. Hunc Oceanum veteres patrem Deorum dixerunt; pro eo autem non solum mare, quod universam terram ambit, sed etiam aquæ virtutem intellexerunt, quam tales omnium rerum principium statuit. Eum ergo Deorum patrem nuncuparunt; Thetisque uxorem ei tribuerunt; ex quibus innumeri propemodum Dei marini, fluviatiles, ac fontani, item & Nymphæ profluxisse feruntur. Thetis vero fingebatur vetus, cana, atque alba: eam Poetæ mattem, atque venerandam appellabant. Hæc una cum viri sui imagine poni potest: qui, ut Ioannes Buccatius refert, in curru effingebatur, à quatuor balænis per mare tracto; eum Tritones cum buccinis præcedebant, circumstabant Nymphæ, magnus belluarum marinarum numerus sequebatur, quæ sub Proteo duce ac pastore erant. Hic ex marinis Deis erat, qui ventura prædicebat, sed non nisi coactus; eosque, qui sibi vim parassent, fraudibus decipiebat, varias subinde formas induens, ut ex ejus manibus elaberetur. Quare necesse fuerat, eum vincire, ac tamdiu continere, quoad in pristinam figuram revertisset: tunc enim facile ad interrogata respondebat. De hoc Diodorus refert, eum in regnum ab Ægyptiis adscitum, tamquam qui omnibus sapientia antecelleret, perquam erat ita dexter in consiliis pro tempore capiendis, ut ea alia ex aliis prout res requirebat,

*Proteus curio
varias formas
assumit.*


commodissime mutaret, atque hinc factum esse, ut se in diversas figuras convertere diceretur: Quod idem erat, ac si dixissent, eum foro uti scivisse. Græci volunt, id de Proteo dictum, ut scilicet ad Ægyptiorum regum morem respiceretur: nam illi, cum in publicum procedebant: semper aliquod insigne gestabant, quod regiam majestatem præ se ferret; id quidem subinde mutabant; aliquando enim Leonis, aut Tauri, aut Draconis priorem partem, interdum arborem, quandoque ignem, nonnunquam redolentia unguenta præferebant. Unde factum locum fabulæ, Proteum in ea omnia; quæcunque capite gestabat, solere transformari. In Carpatho etiam insula idem regnasse legitur, à qua mare Carpathium nomen habet, quod est prope Ægyptum, cum vero Phocis id mare abundet (quæ & vituli marini appellantur; priores enim partes corio, ac pilis tectas ad vituli similitudinem habent) atque aliis marinis belluis; ideo marini gregis pastor est dictus. Oceani quoque filia Eurynome putabatur; eam Homerus Thetidi comitem adjunxit, cum Vulcanum adiret. Nonnulli eam Dianam esse crediderunt, ut

Imago 38. a.

Eurynome.

Pau-





Pausanias refert, quod quidem nihil cum ejus simulacro consentit, id scēni-
neam formam referebat, summa scēnora, cætera piscis figuram, erat autem
aureis catenis revinctum. Id numen à Phigalensibus, qui erant in Arcadia co-
lebantur, templum ejus stato quotannis die aperiebant, sacra eo die publice
& privatim fiebant, Huic non admodum dissimilis quædam Dea erat, quæ
Derceto appellabatur, hæc capite excepto, quod muliebte erat, piscis vide- *Derceto,*
batur. De hac Diodorus Siculus lib. III. scribit, eam Nympham fuisse, sed
gravidam postea effectam, a quo autem ignoratum, Semiramidem peperit-
se; sed sui erroris pudore affectam, se in quemdam Syriæ lacum abjecisse,
atque inde ab illis populis numinis loco habitam, ac in piscem se convertit-
se creditam: ideoque factum esse, ut à piscium elu abstinerent, qui in eo
lacu essent, quos omnes illi Deæ sacros arbitrarentur. Sed ad Oceani Ima-
ginem revertamur: ejus currus eum terram ambire significat: Rotæ ter-
ræ orbicularem figuram ostendunt: Balanzæ currum trahunt, quod mare
universam terram percurrat, ac in eam se insinuans, magnam ejus partem
alluat. Nymphæ aquarum proprietatem designant, quas veteres non so-
lum sub Oceani, Neptuni, Thetidis, Doridis, Amphitricæ atque alio-
rum marinorum Deorum nominibus; sed etiam sub Acheloi nomine ad-
umbrarunt. Licet nonnulli prioribus illis Salsarum Aquarum naturam,
hoc vero posteriore dulcium innui, cujusmodi sunt fluviorum aquæ, qui
etiam ab antiquis pro numinibus sunt habiti, & humana figura efficti. Sed
antequam ad eorum simulacra veniam, ventos describam, nam cum de mari *Veni,*
dixerim, ubi illi maxime vires suas exserant, non abs re mihi facturus
videor, si statim ventorum tractationem subjecero. Quamquam vero non
absurde cum Junone conjunxissem: ea enim aerem significat; ventus autem,
secundum Physicorum sententiam est aer concitatus; Itaque Æolus ita
Junoni apud Virgilium lib. I. Æneid. respondet;

*Tu mihi quodcumque hoc regni, tu Sceptra, Jovemque
Concilias; tu das epulis recumbere Divum,*

Nimborumque facis, tempestatumque potentem.

Non tamen hic locus videtur à ventis alienus; veteres ut Deos, sunt ventos *Ventorum
Cultus di-
vinitus.*
venerati: eisque sacrificabant, vel quod eis propitiis usi essent, vel ut in po-
sterum uterentur. Eos cum aliis effinxerunt, tumescentibus buccis, infla-
tis ac spirantibus: Sed alii alios suo flatu effectus producunt, nam aliqui
nubes cogunt, & pluvias creant; alii è contra nubes dispellunt; alii aliter
suas vires ostendunt. Itaque diversè à Poëtis descripti fuere: qui quamquam
multi sunt, tamen præcipui quatuor qui à primariis quatuor mundi cardinibus
sunt, numerari solent, ut ab Ovidio cum lib. I. Metamorphos. universum
in suas partes distribuit. Fuerunt aliqui, ut refert Strabo, qui duos tantum
ventos posuerunt; sed ex quatuor unus est Aquilo, qui & Boreas dicitur
P 2 à Septen-

a Septentrione flans, hunc Pausanias in Eliacis scribit in Cypseli arca exsculptum fuisse Orithyiam rapientem, non tamen ejus effigiem designat, nisi quod eum pro pedibus anguium caudas habuisse dicit, hic igo quia nives ac frigus affert, glaciemque creat barba, capillis ac alis nive conspersis effingitur. Alter est Auster, qui & Notus nuncupatur, qui à Meridie flat: hic quod flatu suo pluvias adducit, ita ab Ovidio describitur.

-- Madidus Notus evolat alis

*Terribilem picea tectus caligine vultum,
Barba gravis nimbis, canis fluit unda capillis,
Fronte sedent nebula, vorant peanaque sinusque.*

Tertius est Eurus, qui ab oriente flat, hic niger effingitur ob Æthiopes, per quos transit; cumque Sol occidens, si forte rubeat, Signum sit fore ut sequenti die (quemadmodum Virgilius in Georgicis testatur) Eurus excitetur ideo ejus imagini Sol igneus ad caput adpingitur. Quartus benignissimus ille quidem & Zephyrus qui ab occidente spirat. Hic vere primo terram herbis convestit, flores excitat. Quare Floræ maritus est ab antiquis dictus quæ florum Dea habebatur: ejus imago pulcherrimam Nympham referebat. Itaque ea cum ab Ovidio lib. V. Fast. loquens inducitur, ita de sua pulchritudine dicit;

Zephyrus.

Flora.

Quæ fuerat mihi forma, grave est narrare modesta

Imago 39. a.

Sed generum matris reperit illa Deum


Ei & sertum ex variis floribus additur; item & vestis Versicoloribus floribus pingitur, nam flores quibus terra vestitur, omnia colorum genera referunt. Philostratus ita Zephyri imaginem adornat; Is est forma juvenili, facie decora, alaris humeris, tempora habens pulcherrimis floribus redimita.


Inachus.

Sed jam ad Fluvios transeamus, qui ab antiquis etiam numina habebantur, item votis ac sacrificiis colebantur. Eis capillum quodam peculiari ritu incisum offerre solebant; præcipue Græci, ut Pausanias testatur: Quod etiam ex Homero intelligimus, cum Peleum inducit, vota Sperchio flumini facientem, se capillos suos illi oblaturum, si filius Achilæ incolumis ad se ex Trojano bello revertisset. Et in agro Attico apud Cephissum fluvium adolescentis statua visebatur, sibi comam cadentis, ut illi consecraret. Fluviorum effigies hominem referebat barbatum, promisso capillo, jacentem, cubito innixum, ut Philostratus Thessaliam describens, meminit; nam nunquam fluvii in pedes se erigunt; sæpe etiam magna alicui tunc incumbunt, quæ aquam abunde effundat. Ita enim Statius Inachum depingit. Scivius inquit, cornua quoque fluminibus tribui, aut quod aquæ marmur, bovum migitum exprimat; aut quod fluviorum ripæ cornuum icatæ sunt incurvæ. Quamobrem Virgilius lib. VIII. Æneid. de Tiberi dicit;

Cor-







Imago. 40



fit
ta
ma
pe
ra
tiq
lib
Po
nar

ne
tex
fer
Se
ma
Th
bra
qu
ter
riis
est
ma
in
ma
nar
uis

COLEBANTUR IMAGINES.

Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum
Eundemque ita Paulo ante describit:

Huic Deus ipse loci, fluvio Tiberinus amano
Populeas inter senior se attollere frondes
Visus: cum tenuis glauco velabat amictu
Carbasus & crines umbrosa tegebat arundo.

Idem libro IV. Georg. de Eridano ita dicit.

Et gemina auratas taurino cornua vulu
Eridanus.

Eridanus.

Ubi probus Eridanum inquit facietaurina pingi; quod sonus quem edit, sitaurino mugitui perquam similis; ejusque ripæ veluti cornua, sint intorta. Alianus scribit, fluminum simulacra, quæ antea nullam certam formam habebant, bovis postea effigiem expressisse. Idem apud Festum Pompejum legitur fluviorum scilicet statuas esse formæ taurina, quod est, cornigera; nam ii sunt taurorum instar efferati Fluvios quoque arundineis foliis antiqui coronabant; arundo enim feliciter in aquosis locis provenit Ovidius lib. XIII. Metamorph. cum de Aci in fluvium mutato fabulam recenset, quem Polyphemus, grandi quodam saxo projecto, contriverat, ita de Galathea narrantem induxit;

Aci in fluvium mutatus.

Miraque res subito media tenuis exstitit alvo
Incinctus juvenis flexu nova cornua canis.
Qui nisi quod major, quod toto cernulus ore est,
Aci erat.

Romæ etiamnum in Vaticano Tiberis statua visitur, qui nec cornua, nec ferta arundinea habet, sed est corona ex variis floribus ac fructibus contexta redimitus, quod secundum meam quidem sententiam, eo refertur, ut fertilitatem, atque annonæ copiam significet, quam is fluvius incolis affert. Sed tamen non omnino est Poeticis ornamentis spoliatus; nam & arundinem manu gestat. Cum Acheolus apud Ovidium lib. VIII. Metamorphoseon Theseo narrat contentionem, quam cum Hercule pro Deianira suscepit, brachio innititur, caput habet arundine cinctum, viridi amictu induitur, neque tamen ambobus cornibus, sicut ceteri fluvii, est insignitus; nam alterum ei est ab Hercule diffractum, quod postea floribus ac fructibus variis refertum Ætolis est donatum, qui id Cornucopias Appellarunt. Quod est ideo ab antiquis fictum, ut Diodoro videtur, quod Hercules scilicet maximo cum labore alterum hujus Fluvii ramum, à Pristino cursu in aliam partem diverterit: quæ cum fecundis illis aquis irrigaretur, maxime fructi fera evasit. Itaque varie humina à Poëtis describuntur, nam ii vel Aquarum qualitatem, vel illorum cursum, vel regionis naturam, per quam transeunt, considerantes, Fluvios diversis

Achelous.

Cornucopia.

Nilus flu-
vius.


Imago 41 a

descriptionibus designant. Quare Pausanias in Arcadicis refert, in quodam Arcadiae templo nobilium quorundam annuum est candido marmore signa videri; Sed unius Nili simulacrum, est nigro lapide, cuius quidem rei hanc causam affert; quod scilicet per nigros Aethiopes, Nilus in mare delabitur. Lucianus scribit, Aethiopes Nili effigiem supra Crocodillum, aut Equum fluviatilem collocasse, Equus autem fluviatilis est, ut Herodotus eum describit, quadrupes, magnitudine Taurum æquans bovino capite, depressis naribus, Caprarum instar, jubeis dorso ac tinnitu equino dentibus aprorum aduncis renitendi cauda pelle ita crassa atque dura, ut cum est exsiccata, sit jaculis conficiendis apta: Hæc bellua à Græcis est dicta *κροκωτάμιος*. Circum Nili simulacrum pueros aliquot ludentes effingebant; ut etiam apud Plinium lib. XXXV. legitur, ubi de marmore, quod Basaltem vocabant, loquitur, scribit enim, ex hoc marmore statuam Romæ in templo Pacis ab Imperatore Vespasiano Augusto dicatam, Argumento Nili XVI. liberis circa ludentibus, per quos totidem cubiti summi, incrementi augentis se annis ejus intelligerentur. De quadam Vertumni statua in foro Romano posita legitur, quæ Tiberim olim illac transeuntem repræsentabat. Hæc floribus atque fructibus erat ornata, ut fertilitatem agrorum ostenderet, juxta quos Tiberis præterfluit. Vertumnus etiam Deus humanis cogitationibus præpositus credebatur, qui diversas formas indueret, sicut & homines subinde consilia mutant. Aliqui cum Anni Deum putaverunt, qui juxta tempora varias sumit figuras; atque ideo ejus natura cunctis figuris est opportuna, ut Propertius de eo lib. IV. dicit, cujus descriptionem operæpretium fore, sum ratus hic apponere, cum sit longe elegantissima; ea vero sic habet;

*Quid mirare meas tot in uno corpore formas?
Accipe Vertumni signa paterna Dei.
Tuscus ego, Tuscorior, nec pœnitet inter
Prælia Volsinos deservisse focos.
Nec me turba juvat, nec templo delector eburno,
Romanum satis est, posse videre forum.
Hac quondam Tiberinus iter faciebat, & a juncis
Remorum auditos per vada pulsa sonos.
At postquam ille suis tantum concessit alumnis,
Vertumnus verso dicor ab anne Deus,
Sen, quia vertentis fructum percepimus anni,
Vertumni rursus credidit esse sacrum.
Prima mihi variat hiventibus uvaracemis,
Et coma lætenti spicæa fruge tumet.
Hic dulces cerasos, hic autumnalia pruna
Cernis, & æstivo morarubere die.*

hi.





L
tate
tis,
pass
Virg

*Insitor hic solvisti pomosa vota corona,
 Cum pyrus invito stipite mala tulit.
 Mendax fama nocet: alius mihi nominis index:
 De se narranti, tu modo crede Deo.
 Opportuna mea est cunctis natura figuris:
 In quamcumque voles, verte: decorus ero.
 Indue me Cois, siam non dura puella.
 Meque virum, sumpta quis neget esse toga?
 Da falcem, & torto frontem mihi comprime fœno:
 Iurabis, nostra gramina secta manu.
 Arma tuli quondam; & memini, laudabar in illis:
 Corbis & imposito pondere, messor eram.
 Sobrius ad lites: at cum est imposita corona,
 Clamabis, capiti vina subisse meo.
 Cinge caput mitra, speciem furabor Iacchi:
 Furabor Phœbi, si modo pleetra dabis.
 Cassibus impositus, venor, sed arundine sumpta,
 Faunus plumoso sum Deus aucupio.
 Et etiam auriga species Vertumnus, & ejus,
 Trajicit alterno qui leve pondus equo.
 Suppetat: hoc pisces calamo pradabor; & ibo
 Mundus, demissis insitor in tunitis.
 Pastorem ad baculum possum curare, vel idem
 Sirpiculis medio pulvere ferrerosam.
 Nam quid ego adjiciam, de quo mihi maxima fama est,
 Hortorum in manibus dona probata meis?
 Carulens cucumis, tumidoque cucurbita ventre
 Menorat, & junco brassica vineta levi.
 Nec flos ullus hiat pratis, quin ille decenter
 Impositus fronti laugeat ante mea.
 At mihi, quod formas unus vertebar in omnes,
 Nomen ab eventu patria lingua dedit.*

PLUTO.

LICET in ditionis divisione, alii Saturni filiorum cali regnum obtige-
 rit, alii aquarum, alii inferorum, prout fabulis fertur; quod si rei veri-
 tatem spectare velimus, innuit, Jovi sorte orientis partes, Plutoni Occiden-
 tis, Neptuno vero maris insulas obvenisse. Sed tamen eorum quemlibet
 passim suum imperium exercere, interdum videmus; nam Neptunus apud
 Virgilium lib. I. Æneid. ventis minatur, quod sine ejus permisso, cœlum, ter-
 ras-